

1. Epistola de captione monachi una cum complicibus suis.

Salutem plurimam! Gravem et execrabilem sortem, omnibus Ertffordie degentibus communem, deplangere phas est. Que neminem¹ non concitaret ad lacrimas, nisi humane pietatis hostis esset, et sane nemo est, ut reor, quin merore maximo sit percussus, cum opidi Ertffordensis eminentissimi cladem, de qua plurimum ingemiscit, animo agitarit. Est namque hec civitas totius terre, que comode colitur, pene centrum, duplicatis menibus, fossa et aquis cincta, turribus et propugnaculis munita, in omnibus, que ad civilem popularemque frugem spectant², exuberans; cives eius³ omni clemencia, pietate, humanitate preediti. Ah⁴ multa ac pene infinita huius civitatis eminentis facta memoracione⁵ digna, que apud universum populum sunt diffusa, missa faciam. Sed pro dolor! hec⁶ civitas tanto discrimini ut antea obiecta⁷ foret. Nam, ut fama fert, homines nonnulli sceleratissimi circiter centum et decem numero, alieno ere pressi, in excidium eiusdem civitatis, verum et tocius terre districtus machinantur⁸ ignes suscitando pro clade et vastatione eorundem, quod profecto re ipsa compertum foret. Nam quatuor hac tempestate carceribus huius⁹ rei gratia mancipati sunt, quorum duo statum profitentur secularem, alii revera statum spiritualem. Unus ex his monachum se asserit, qui ex diabolica suggestione omnem religionis observacionem aspernabatur, vicio dissolucionis¹⁰ ac omnis sceleris depravatus, in apostasia cursitans omnem terrarum districtum perlustrando, nulla iniuria pulsatus, insidias¹¹ maximas ignes suscitando Erfordensibus¹² struxerat. Sed nimirum quin is¹³ quidquid animo agitat temerario quodam ausu (quia Sathane notatus est cauterio)¹⁴ executioni¹⁵ demandare audet. Alter vero ex his Lulhardum sese profitetur, quorum mos est lollare, ut nummos¹⁶ undique valeant tollere. His¹⁷ miser lullando

1) Folgt 'ad', d getilgt, wie es scheint. 2) 'spetat' Hs. 3) 'eiusmodi' Hs. 4) So scheint dazustehen, ist aber wohl in 'At' zu verbessern. 5) 'one' undeutlich. 6) 'hc' Hs. 7) 'obiectu' Hs. Scheint ein Wort (nunquam) zu fehlen. 8) 'machina' Hs. 9) 'h⁹ⁱ = huiusmodi' Hs. 10) 'absoluc.' corrigiert in 'dissoluc.' 11) 'in insidias' Hs. 12) 'erfforden' Hs. 13) 'quin' (oder 'qm') 'is' später am Rande ergänzt. 14) Die Klammern stehen schon in der Hs. 15) 'executione' Hs. 16) 'nūnos' Hs. Bei Novati, Carmina medii aevi (Firenze 1883) steht unter dem Titelbilde der Vers:

Lullardi lollant, ut nummos undique tollant.

17) So auch unten öfter für 'Is'.